





EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM CONTINENS:

*Vtrum ex cambio, probata versione
in rem, contra debitorem, qui nondum superavit an-
num vicesimum quintum aetatis, cum effe-
ctu agi possit.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.

CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC.

LVSAT. INFERIOR. NEC NON FACVLT.

IVRID. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXII. APR. MDCCLXVII.

P V B L I C E D E F E N D E T

FELIX LEOPOLD GOTTLIEB VINHOLD

CYGNENS.

L I P S I A E

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

EXERCITATIO JURIDICA

DE ACTIONIBUS CONTRACTUALIBUS

IN QUAE DIVIDUNTUR IN ACTIONES REALES ET PERSONALES

ILLUSTRATA DOCTRINA ET COMMENTARIIS

AB ERNESTO GOTTLIEB ZOLLNERO

IN APPELLATIONE LEGORUM

IN REGIA UNIVERSITATE HALLENSI

ERNESTI GOTTLIEBI ZOLLNERO

MDCCCXXXIII





Vtrum ex cambio, probata versione in rem, contra debitorem, qui nondum superauit annum vicesimum quintum aetatis, cum effectu agi possit.

§. I.



*F*ilius familias ait *Gaius l. 39. ff. de oblig. et Action.* ex omnibus causis tanquam paterfamilias obligatur, et ob id agi cum eo tanquam patre familias potest. Conuenit hoc assertum libertati naturali, quae homini facultatem viuendi vti velit, nisi legis dispositio resistat, tribuit. Obstare equidem videtur, quod filiusfamilias secundum ius antiquum aequiparetur rebus, et conditionem serui agnoscat, de quo lege *14. ff. de O. et A.* constat, ex contractu non ciuilem, sed tantum naturalem, obligationem contra ipsum, obtinuisse locum. Ast tristis illa qualitas, quae statum, ex quo datur differentia inter liberos et seruos, et personam efficit, filiofamilias denegare videtur, tantum obtinet respectu patris, non vero, si filiusfamilias erga alios consideretur, et cum iisdem contrahat. In hoc etenim casu filius repraesentat personam, et negotia, quae ab hominibus liberis, quibus opponuntur

IV

ferui, expediri possunt, iure suscipit. Hanc ob causam subsistit locatio conductio, contractus commodati, pignoratitius, imo licitationem filiaefamilias, praedio paterno sub hasta haerente, in concursu creditorum admissam esse, testatur *Menken* in Pand. ad titulum: *Quod cum eo qui in aliena potestate*. Tria tamen potissimum sunt notanda, 1) ut filius familias perfectae sit aetatis i. e. annos maiorennitatis impleverit, alias enim ob iudicii imbecillitatem, illi subueniendum esse, disponunt leges. 2) Ut executio differatur, donec sui iuris factus sit, ne pater, si filius soluere cogatur, quod tamen non in bonis habet, sentiat praeiudicium, 3) ne specialis legis dispositio filio potestatem contrahendi interdicat.

§. II.

Ad negotia, quae filiusfamilias ex auctoritate legum contrahere non potest, refertur mutuuum, quod contractum, quem speciali nomine realem vocamus, efficit. Quamvis enim omnes contractus consensum requirant, et sine eo non subsistant, non tamen ille solus semper perficit negotium, sed, ut aliud quoddam accedat, et perfectionem rei efficiat, desideratur. Quam ob causam Imperator Iustinianus, cum de obligationibus differeret, et easdem, vel ex contractu, aut quasi ex contractu, vel ex maleficio, aut quasi ex maleficio oriri adfirmaret, §. 2. in fin. *Inst. de Obligationibus*. contractuum quatuor recenset species. *Aut enim ait re contrahuntur, aut verbis, aut litteris, aut consensu*. Legis dispositio, quae contractum mutui excipit, et creditori contra filium fami-

familias obligationem denegat, est SCtum Macedonianum. Nil monebo circa auctorem huius legis, de quo criticorum ingens est dissensus, quamuis negare non possum, mihi placere sententiam eorum, qui ab improbo foeneratore nomen accepisse SCtum censent, cum id partim Romanis, qui de conferuanda familiarum fama erant solliciti, partim verbis SCti conueniat. Id vero dixisse sufficiat, hanc legem prohibitionem non absolute, sed tantum relatiue talem continere. Scilicet creditori contra filiumfamilias, qui contraxerat mutuuum, nulla competebat actio, potius exceptio perpetua eius petitioni obstabat, aut si debitor solutionem sponte praestiterat, cessabat repetitio, conditio enim indebiti ob indebitum ciuile tantum in regula non obtinebat locum.

§. III.

Eiusdem legis dispositio non solum iure hodierno adhuc valet, sed etiam in diuersis locis, ne homines ad prodigalitatem inuitentur, et ex eorum interitu praeiudicium patiatur respublica, maiorem in modum aucta et ad casus non expressos per benignam, vtilem tamen interpretationem, fuit applicata. Ita iure Saxonico per mandatum regium d. 29 Dec. 1718. illis, qui studiorum causa in academia viuunt pariter, qui adhuc sub patria potestate sunt constituti, prohibetur negotium cambiale, eo cum effectu, vt creditoribus contra debitores, qui postea sui iuris fiunt, nulla competat actio, sed negotium celebratum ipso iure dicitur nullum. Quod mandatum excipit recentius d. 21 Apr. 1724. in quo extensio prioris conspicitur; scilicet res eo tendit,

VI

vt omnibus, excipias tantum mercatores, quibus fauor com-
merciorum suppeditat exemptionem, siue sub patria potestate
constituti, siue sui iuris sint, dummodo annum aetatis vice-
simum quintum nondum excefferint, contrahere cambium,
penitus interdicitur. Maiorem effectum hoc mandatum
producit, quam SCtum Macedonianum, et eatenus legem
Romanam vincit. SCtum enim debitori dabat exceptio-
nem, non vero actionem, hinc condictio indebiti, vti supra
demonstrauimus, cessabat. Ast mandatum Electorale de-
bitori exceptionem pariter, quam actionem praestat, in §o
enim secunda expressis verbis disponit legislator: quod de-
bitor, quamuis praestiterit solutionem, intra quatuor anno-
rum spatium, eius, quod soluit, repetitionem vna cum vsu-
ris, a creditore exigere queat, imo hoc beneficium, quod
est singulare, ad heredes debitoris extenditur.

§. IV.

In regula itaque negotium cambiale inter creditorem
et debitorem, ante vicesimum quintum annum aetatis cele-
bratum, pro inualido declaratur. Videamus vero an ex-
ceptio in casu quodam singulari obtineat. Finge Ti-
tium cum Paulo celebrasse mutuuum, et creditori eo nomine
litteras cambiales dedisse. Die solutionis existente, Paulus
Titium conuenit, et ab eodem restitutionem debiti exigit,
insimulque in libello, versionis in rem facit mentionem;
Titius exceptionem legis prohibitiuae opponit, et se eo tem-
pore, quo contraxerat mutuuum, nondum annum vicesimum
quintum expleuisse adfirmat. Oritur quaestio: vtrum cre-
ditor,

ditor, versione probata, sit audiendus, et debitum, cessante quamuis rigore cambiali, petere possit, vel vtrum negotium sit nullum, et deficiat ius agendi

§. V.

Negatiua sententia locum obtinere videtur ex eo, quod obligatio, quae cambio contrahitur ipso iure sit nulla, id vero, quod nullitatis vitio laborat, effectum producere nunquam potest. Nec creditor de iniuria, vel damno exinde resultante querelam mouebit, scivit enim, aut ad minimum scire debuit, eiusmodi negotia penitus esse prohibita, hinc cum volenti non fiat iniuria, damnum, quod sua culpa sentit, sentire non videtur. Adstipulatur huic asserto §. I. mandati Electoralis d. 21 Apr. 1724. et quidem his verbis: Also hinführo, außer Handelsleuten, niemand, wes Standes und Condition er seyn möge, und da er gleich in unsern wirklichen Kriegsdiensten stehet, oder veniam aetatis erhalten, ehe er das 25te Jahr seines Alters erfüllet, Wechselbriefe auszustellen, zu indossiren, oder zu acceptiren, oder auch nach Wechselrecht sich zu verschreiben Macht haben, und wenn es gleich geschiehet, die vor solcher Zeit ausgestellte, indossirte, oder acceptirte Wechselbriefe, oder Wechselverschreibungen, schlechterdings ungültig seyn sollen. Ex quibus verbis liquido apparet, legislatorem omnem efficaciam cambiis denegasse, et, vt sub nullo praetextu, etiamsi iuramentum sit adiectum, valeant, disposuisse. Quod adhuc maiorem probabilitatis gradum attingit, dummodo mandatum antecedens

VIII

dens d. 29 Dec. 1718. quod, per supra allegatum rescriptum declaratur, velimus in considerationem vocare. In illo enim de cambio, quod studiorum causa in academia viventes, vel illi, qui sub patria potestate sunt constituti, contrahunt, agitur, pro inualidis declarantur litterae cambiales, cum hac expressa nota: **Daß ein dergleichen ausgebrachter Wechselbrief, nicht einmal als eine bloße Handschrift gelten solle.** Cum itaque mandatum recentius hanc dispositionem sequatur, eandemque ad alium casum non expressum, nempe, si quis ante vicesimum quintum annum aetatis cambium celebravit, adplicet, non immerito argumentum confici potest, eiusmodi obligationes, et in hoc casu, esse nullas, et ex iisdem fundamentum agendi creditori nulla competere ratione.

§. VI.

Sed vt adfirmatiuam sequamur sententiam, et creditori agendi concedamus potestatem, potiora obueniunt argumenta. Conuenit nempe tam aequitati naturali, quam legibus ciuilibus, vt is, cuius vtilitas vere est promota, alteri, qui causam principalem dedit, et conditionem meliorem effecit, teneatur. Nemo etenim ex alterius damno debet, et potest fieri locupletior, hoc vero contingeret, si debitor non indemnem praestare cogatur illum, ex cuius opibus emolumentum, quod illum reddidit felicem, percepit. Probant hanc sententiam quoque leges ciuiles, et hanc ob rem, actionem de in rem verso, quae aequitate nititur, concedere voluerunt. Ex ea causa ait *Ulpianus l. 3. §. 2. ff.*
de

de in rem verso. Et regulariter dicimus totiens *de in rem verso esse actionem*, quibus casibus procurator mandati, vel qui negotia gessit, negotiorum gestorum haberet actionem, quotiensque aliquid consumpsit servus, ut, aut meliorem rem haberit dominus, aut non deteriorem. Hinc pater, cuius etiam gratia Sctum Macedonianum l. 7. §. 10. ff. Ad Sctum Macedonianum est introductum, et cui exinde contra creditorem agentem datur exceptio, nihilominus tenetur, quotiescunque mutuuum, quod contraxit filius, in eius utilitatem, vel immediate l. 7. §. 12. d. t. v. g. ad extruendum aedificium, vel mediate v. g. in eas res, quae patris oneribus incumbunt. l. 2. C. hui. tit. est impensum. Ex eadem ratione tenetur ciuitas ex mutuo, quod administrator contraxit, cuius factum ciuibus, quorum deficiebat consensus, alias nec praeiudicium, nec obligationem adquirere potest. Ciuitas enim teste Vlpiano l. 25. ff. de rebus credit. mutui datione obligari potest, si ad utilitatem eius, pecuniae versae sunt, alioquin ipsi soli, qui contraxerunt, non ciuitas, tenebuntur.

§. VII.

Confirmat hanc sententiam quoque Ius Saxonicum. Scimus enim secundum tenorem mandati Electoralis d. 18 Nov. 1722. vxorum obligationes, sine maritorum consensu, non subsistere, sed potius pro inualidis haberi. At declarauit Serenissimus hanc dispositionem, et mandato d. 1 Iul. 1723. fanciuit, ut eiusmodi negotia valeant, in quantum ex pecunia, quam creditor dedit, vxoris utilitas sit pro-

B

mota,

mota, dummodo creditor circumstantias speciales, ex quibus haec versio diiudicari possit, in libello expresserit. Nec haec sola est dispositio, ex qua praecedens probatur sententia; Indubitati minirum est Iuris; ex omnibus negotiis, quae regulariter contrahentem non stringunt, datur obligatio, si melioratio conditionis probari potest: a qua regula, nec ius civile, nec ius patrium recedit.

§. VIII.

Ast quid opus est his argumentis ab aequitate desumptis, cum expressa legislatoris nostri sanctissimi dispositio, sententiae pondus addat, causamque creditorum hac in parte defendat. Relegamus verba mandati d. 21 Apr. 1724. §. 5. quae ita sunt concepta. Sowol sonst einem jedem Gläubiger, wenn er, daß durch seinen Vorschuß und Darlehn das Vermögen des Debitoris, dem er vor erlangtem 25sten Jahr auf einen Wechsel, oder Wechsel-Verschreibung etwas vorgestreckt, wirklich erhalten, vermehret, oder verbessert worden, darzuthun sich getrauet, und wie, und auf was maßen solche Erhaltung, Vermehrung, oder Verbesserung geschehen, mit deutlicher Anzeigung genugsamer und glaubwürdiger, auch zu deren Erhärtung dienlicher Umständen angeben könnte, nach Beschaffenheit des dießfalls habenden Beweises, wieder denselben zu klagen, und dadurch aus besagten, des Schuldners Vermögen, seine Bezahlung zu suchen, unbenommen seyn, er auch mit seiner Klage allerdings gehört werden soll. Agere equidem hac §. de mercatoribus, et illis, qui
extra

extra Saxoniam litteras cambiales dare solent, videtur, id quod verba initialia; damit aber durch diese unsere Ver-
ordnung, der Handlung kein Nachtheil zugezogen werden
möge, demonstrant: Ast verba subsequencia: sowol soust
einem jeden Gläubiger ad omnes creditores adplicantur,
et auctor legis mentem suam clarius interpretatur, et vt
versio in rem, dumodo rite sit probata, exceptionem ab
hac lege prohibitiua, suppeditet, indicat.

§. IX.

Nec obstat, quod hoc mandatum sit declaratio eius, quod
antea dederat legislator, et in quo, versio in rem, tan-
quam casus exceptus, non reperitur, sed potius simpli-
citer pro nullo declaratur negotium; sufficit enim legis-
latorem, penes quem, vi superioritatis territorialis, est ius
tollendi, et corrigendi legem, hanc exceptionem, quae
ex iure communi fundamentum recipit, adprobasse, et
vt in futurum valeat, expressis verbis mandato inseruisse:
qua propter ad id, quod ante erat dispositum, non est re-
spiciendum, nec ex eo interpretatio, vel decisio praesentis
casus desumenda.

§. X.

Sed vtrum processu executiuo iura persequi liceat cre-
ditori: alia est quaestio. Equidem, si processum executi-
uum considerare velimus, eius fundamentum efficit docu-
mentum quarendigionatum, in quo principaliter, vt contineat
pactum obligatorium, requirimus. Quod si itaque debi-

XII

tor in chirographo confessus fuerit, versionem in rem, in-
 simulque, secundum mandatum regium, expresserit casum
 specialem versionis, praevalere videtur sententia; quod
 processus executivus cum effectu a creditore, ad petendam
 summam, institui possit. Ast re paulo penitius considerata,
 verior est negatiua sententia. Mandatum enim regium,
 quod ex versione in rem fundamentum dat creditori, ex-
 presse desiderat, vt creditor versionem in rem, ad quam
 prouocat, rite probet, quod indicant verba: nach Beschaf-
 fenheit des dießfalls habenden Beweises. Hac ex causa
 cum probatio iniungatur actori, qua tamen non opus est
 in processu executiuo, documentum enim ipsum est liqui-
 dum, merito processum ordinarium obtinere, et tali modo
 iura persequi debere creditorem concludimus.





ULB Halle
003 719 014

3





8839

1767 43.

EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM CONTINENS:

*Vtrum ex cambio, probata versione
in rem, contra debitorem, qui nondum superavit an-
num vicesimum quintum aetatis, cum effe-
ctu agi possit.*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC.
LVSAT. INFERIOR. NEC NON FACVLT.
IVRID. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXII. APR. MDCCLXVII.

P V B L I C E D E F E N D E T

FELIX LEOPOLD GOTTLIEB VINHOLD

CYGNENS.

L I P S I A E

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

